

VICTOR 2. BAVARVS PONTIFEX ROMANVS.



Victor in Bauaria nobili familia comitum de Calue natus, atq; Gebhardus dictus fuit. Cū etiā in bonis literis optimè institutus atq; omnibus uirtutibus præditus esset, eligitur episcopus Eystensis. Vnicē autem is studebat Clerum in officio continere, eosq; diligenter admonere ut moribus & disciplina reliquos homines superarent. Hinc in quorundam odium immerito incurrit. factum est itaque cum aliquando sacrificaret ut diaconus qui dam ei in calicem suffuderit uenenū. Cum autem pius Episcopus poculum leuare nequiret, diaconus dæmonio agitatus crimen tandem fatetur. Cālix ergo ille in rei memoriā cum sacramento in quodam altari inclusus fuit. Eo tempore mortuus est Leo nonus Pontifex Romanus. Verebatur autem Clerus & populus Romanus Imperatoris Heinrici ter tij potentiam, quem in creandis Pontificibus aliquoties læserant.